



V I T A

GENEROSÆ & NOBILISSIMÆ  
FÆMINÆ

ANNÆ CATHARINÆ

de ASSEBURG natae ROTSCHVTZIÆ

Lectissimæ dilectissimæque Conjugis

GENEROSI, STRENUI & MAGNIFICI

DN. LUDOVICI  
de ASSEBURG

Hufanæ Dioecesios in Holfatiâ Satrapæ optimè meriti, familiæque suæ  
Nobilissimæ SENIORIS & Feudorum ejusdem Prostatae perquam Spe-  
ctabilis, Hæreditarii Toparchæ in Vualhausen, Dni. in Kalbe,  
Schenckenhorst, Berge & Vinau,

*in debitum*

VIRTUTIBUS DEFUNCTÆ

Honorem

*scripta*  
à

Brodero Boisen, Hufio-Holfato.

---

M DC LXX.

*AD PIE DEFUNCTAM.*

NON OMNIS MORIERE. MORI VETAT INCLYTA VIRTUS,  
HAC PARS MULTA TUI ET FAMA PERENNIS ERIT,  
SICUT HONORIFICO DIGNE CONDERE SEPULCHRO,  
SIC TUA DEFUNCTÆ PERCOLAT OSSA QVIES!

B. B.

M DC LXX.



Non futurum mihi citra fidem  
aut obtrectationi putaverim,  
si vitam FÆMINÆ GENE-  
ROSÆ & virtutibus ornatis-  
simæ posteris tradidero, ali-  
quamve ejus indolis prodi-  
dero memoriam, quæ honesti  
semper tenax sprevit & supergressa est ruentis  
in vanitates seculi inania. Neque enim ambi-  
tione, sed bonæ tantum conscientiæ pretio du-  
ctus extremo gratitudinis erga piè DEFUN-  
CTAM officio detungi desidero, ut leviden-  
se hoc scriptum professione pietatis aut non  
improbetur aut excusetur.

Fuit ANNA CATHARINA de AS-  
SEBURG veteri & generosa ROTSCHOT-  
ZIORUM & ROEMERIORUM orta stirpe,  
quæ inter Nobiles & longa decora præferentes  
eminet in Misnia & Voytlandia, Pater fuit Ge-  
nerosus & Strenuus Dn. JOHANNES BERN-  
ARDUS de ROTSCHOTZ Dominus in Vuei-  
storf, Virtutibus equestribus notus. Mater Ge-  
nerosa SIBILLA BRIGITTA-ROEMERIA, Ge-  
nerosi & strenui Domini ADAMI ROEMERII,  
Domini in Steinpleis Filia, fuit raræ castitatis &  
sanctimoniam Matrona, quippe quæ post imma-  
tuum Nobilissimi mariti decessum in exem-  
plum famine decoris vixit, & ob id oblatam si-  
bi à Celsissima, Serenissimaque Saxoniam Ele-  
ctrice lectissimi sui Gynæcei curationem et si  
recu-

cusaret, experta tamen est continuam Munificentissimæ erga se Principis gratiam, honestissimiq; moris studio prosperam sui memoriam reliquit. His Generosis parentibus (quorum inter Majores sat inclytos, nec ob id curiosius mihi percensendos, aurei velleris dignitate effulsit Generosus Dn. MARTINUS ROEMERIUS Zviccaviæ olim diæcetes insigniter splendidus] edita in lucem Generosa ROTSCHUTZIA anno supra sesquimillesimum & centesimum septimo decimo 17. Cal. Octob. sacroque baptismatis fonte abluta Christiano adscripta est cætui, crevitque postea in spem sui sexus: Educata scilicet in sinu disciplinaque Nobilissimæ & honestissimæ matris per omnem pietatis & Virgineæ virtutis cultum tenellam transegit ætatem. Neq; enim luctuoso & proprio ereptus fato Pater infregit generosæ indolis impetum ad optima quæque & sexui suo decora tendentem. Abstraxit quoque eam non parum à consecratione inanium præter ipsius integram & piam naturam, quod statim parvula duodecim vix dum annorum sedem ac magistræ vitæ habuerit celsissimam aulam Gottorpiensem in Holsatia, locum Germana honestate conspicuum & omnium ordinum decentiâ bene compositum. Clementissima enim commendatione Serenis. Celsissimæq; Electricis Sax. MAGDALENÆ SYBILLÆ Gottorpium veniens à Serenissima Celsissimaque Principe MARIA ELISABETHA pro eâ quæ erga orbis fertur clementiâ, gratiosissimè recepta est in numerum virginum aulicarum. Quas inter laudabiliter

ter

ter se gerens Illustrissimæ Principi approbavit  
vitæ suæ aulicæ rudimenta, electa quam Serenis-  
simarum FILIARUM interiori conversatione  
æstimaret. Nec enim Generosa ROTSCHUT-  
ZIA segniter ad vana honorem, quo à Clemen-  
tissimâ Principe ornabatur, retulit, sed noscere  
aulam, nosci ob pietatem, discere à sacrorum  
voluminum oraculis, sequi optimas sui sexus,  
nihil loqui jactatione nihil temerè, cuncta com-  
positius quàm inconsideratius agere. Hæc atq;  
talìa Celsissimæ Principi perplacebant, optimi  
cujusque exempli cupidine, & quæ præcipua  
ejus cura erat, educationi Serenissimarum Fi-  
liarum, dum conversantium cum tenellis spe-  
ctatam & probatam discupiebat vitam, invigi-  
lanti. Unde vicesimus erat annus, ex quo in  
aula Cottorpiensi cum laude vixerat Generosa  
ROTSCHUTZIA, medio temporis tantum  
gratiæ atque beneficiorum in eam cumulavit  
Celsissima Princeps, ut memoriâ teneam, soli-  
tam illam narrare istius erga se munera, dum  
vita suppetat, jugiter sibi prædicanda. Sed fi-  
xum erat Optimæ Principi ornare ulterius for-  
tunam Generosæ Virginis, quam castissimis im-  
butam noverat moribus: Idque fecit promo-  
vendo ejus nuptias cum Generoso & strenuo  
Domino LVDOVICO de ASSEBVRG Domi-  
no in Vualhausen &c. quem nobili natum loco  
& aulica dignitate conspicuum, probitate insu-  
per & morum innocentia clarum, Husanæ post  
dioecesios satrapiâ Clementissimè decoravit.  
Haut semper errat prænuncia felicium matri-  
moniorum fama, quandoque & eligit, hæc jam  
dudum

dudum destinari videbatur conjugium utrinque convenientissimum: Cui enim jungi dignius erat virginem tantâ castimoniâ nobilem, quàm VIRO haut minori virtute fulgenti? Celebratum itaque matrimonium hoc faustis auspiciis in ducali arce Gottorpii 12. Calend. Octobr. Anno 1649. magna cum festivitate, multis contrahentium honoribus, quibus summa claritudo accessit inde, quod Principum, Magnorum complurium præsentia adaucti sint, qui splendida circumdedere munera ad contestandam gratiosissimam suam & Clementiam & beneficentiam. Super honestum denuptæ animum & virtutibus innutritum erant illi & eximiæ naturæ dotes. Quippe formæ & oris venustate perpaucis sui sexûs cedebat, sermo illi suavis vernaculo sale respersus, ingenium supra sexum liberale & elegans. His sibi mirificè devinxit Generosum maritum cum, quo & mirâ vixit concordia: Mutua uterque charitate certabant perosi fribuscula & antepontes se invicem nisi quod in bona uxore tantò major laus, quantò in malâ plus culpæ, Certè bonæ Conjugis absolutam merebitur laudem apud omnes, qui pensaverint mecum, ut peregerit felicitis conjugii tempora, ut simul domestica officia prudenter & vigilanter accuraverit, ut denique supremum ad usque spiritum decentem ac probam degere vitam studuerit. Generosi sui Mariti familiam fundatissimam sexies auxit sobole, masculinâ bis & quater fæminâ, sat læto accremento alias, lætiore tamen multò, quando numero respondent bona liberorum ingenia & ad honesta flecti cerea: Qualia in suis vidit optima hæc Parens sollicitius indies rectæ educationis curis intenta, rara piorum Parentum felicitate, qui prima ab infantia quamvis bene eductos: labe tamen temporum infectos, & seductiles ad sequiora sæpius experiuntur suos. Egregium Filiorum par Nobilissimæ ASSEBURGICÆ stirpis ornamenta Generosi Domini FRIDERICUS LUDOVICUS & JOHANNES de ASSEBURG præclaræ spei adolescentes desideratissimæ Matris desiderio satisfacere annituntur, dignosque se patria & parentibus ferunt. Quod etsi ipsimet modestæ vitæ institutis sat

compro-

comproben, ignosci tamen mihi petiverim, si domesticum  
sed incorruptum ipse feram testimonium, qui illorum studi-  
is sex fere per annos admotus id honoris habui, ut mentes e-  
orum honesta præceptione bonisque literis instruens, assi-  
duos illos studiis & dicto audientes sim expertus. Filia-  
rum bina paria rupit mors immatura, terrenis eximens ipsis  
in cunabilis minimam natu suavissimam nobilissimamque  
puellam CHRISTIANAM AUGUSTAM, cujus tamen fu-  
neris quamvis acerbissimum dolorem constanti, ut decebat,  
animo tulit Generosa Mater, solatium capiens contra fati du-  
ritiem ex trium Filiarum adhuc superstitum pia indole & de-  
centi modestia. Quarum maxima natu est Generosa Virgo  
MARIA ELISABETHA, altera Generosa Virgo ANNACA-  
THARINA & tertia Generosa Virgo SIBYLLA BRIGITTA,  
omnes in sui sexus decus educatæ, ut quibus à MATRE egre-  
gia honesti exempla & à natura elegans formæ ornamentum.  
Toto conjugii tempore multum in Generosa ROTSCHUT-  
ZIA rationis & solertiæ: In servire condignè Generoso  
Marito & Liberis, rei familiari industriè studere, eique  
prospicere, nosse domus commoda, declinare noxia, cunctis  
vitæ officiis per læta per adversa gerere se æquabilem, bene  
parta, quamvis modica inter certa quadantenus & stabilia,  
exaggeratas contra opes sed ex iniquo aliquid habentes, inter  
fluxa & dissipabilia numerare: quodque rarissimum nec nisi  
prudentibus in usu, plus reponere in parsimonia & frugalita-  
te, quam in luxus apparatu, unde summa sæpius quantumvis  
opulento fundo calamitas & accisæ res. Et tamen aliis lo-  
cupletium penatibus usurpatum raro in pauperes favore apud  
Generosam ROTSCHUTZIAM in consuetudinem cessit,  
ut primum videbat suæ opis indigum seu subditum, seu aliis  
ex terris hominem, succurrere, nec nisi levato in spem divinæ  
retributionis egeno quiescere, gaudere præstandis beneficiis,  
sed præstita non imputare. Comitatem, veracitatem, sin-  
ceritatem, placabilitatem & humilitatem in tanti decoris  
FÆMINA referre omitto, abunde ratus, si charitatem, quam  
ex Apostoli mente virtutum harum magistram dixeris, ipsi  
fuis-



fuisse noveris familiarissimam. Putant pleriq;  
mulierum ingeniis solida loquendi facultatem  
deesse, quod earum animus tractando lino in-  
tentior discursui de divinis & humanis rebus  
vacare vix possit. Generosa ROTSHVTZIA  
naturali prudētia & ingenii quō pollebat soler-  
tiā quamvis inter doctos per appositè ratiocina-  
batur, solidè fermocinans. Nec famam qui-  
dem, cui sæpè etiam à bonis indulgetur [ dum  
laudis cupido iis novissima exuitur] ostentando  
sermone aucupabatur; Sed hoc pensi habe-  
bat, ut eos quibuscum agebat seq; memorabi-  
libus exerceret dictis & teneriores in primis li-  
beros suos constanti & nullis pravitatibus de-  
torto, firmaret discursu. Quem potissimum  
Sacri de Codicis fonte sedulâ lectione & medi-  
tatione haustum mirum in modum insinuare  
colloquentibus norat, divini juris scientiam &  
sâlvificæ fidei oracula apprimè edocta. Et ce-  
leberrima fuit ejus suada, quam in conversione  
duarum ad Christianismum puellarum specta-  
tam ut exemplar referam, ne sæpius eadem fle-  
xanimæ loquelæ vis commendanda sit. Constat  
Illustrissimum Celsissimumque Holfatiæ Prin-  
cipem FRIDERICUM gloriosissimæ recordati-  
onis certas ob causas in Persiam misisse Legatos,  
his revertentibus unâ Gottorpium venēre duæ  
puellæ seu Mahumetanæ seu ethnico ritui devo-  
tæ, quas ex gentica servitute redemptas Sere-  
nissima & Celsissima Princeps Holfatiæ MARIA  
ELISABETHA summam merita tantæ pietatis  
laudem voluit Christianis dogmatis & moribus  
imbui. Illarum informationi admovit hanc Ge-  
nero-

nerosam ROTSCHUTZIAM quæ dum linguæ  
facundia iuxta atque sanctorum Præceptorum  
vi irrepsit in barbararum mentes, brevi eas  
temporis intervallo fecit Christianas. Veræ pie-  
tatis semper à se cultæ ut in extremis specimen  
dederit, paulò inferius memorabo, si paucis, ut  
rerum civilium notitiam hauserit, attigero. Ad  
sermonem igitur suum de humanis negotiis ritè  
formandam jam à teneris usque præter sanctis-  
sima Salomonis & Siracidæ monita civilia magnâ  
partem memoriæ impressa Latinorum quos-  
dam Historicorum sed in vernaculam versos su-  
pra quàm solet ferre fæminarum captus, lege-  
rat, diligentique manu triverat scripta Guevaræ  
Hispani illius prudentis & docti, cujus monu-  
menta germanicè item versa ad servabat magnâ  
curâ, notans & referens subinde hominis in o-  
mnium ordinum moribus describendis & cor-  
rigendis doctrinam. Ne dicam quod pauci ci-  
viliū hominum eò peritiæ excedere quive-  
rint quò Generosa ROTSCHUTZIA per trigin-  
ta annos & ultra illustrissimas Gottorpiensem &  
Hufanam aulæ doctâ diditâ sui famâ inclaruit.  
Miratio subit, dum recolo mecum, quæ ex ejus  
ore audiivi ipse, quasve ejus notavi ex ipsa pru-  
dentia penè de promptas opiniones probabili-  
tate suâ commendabiles: quarum aliquas [unde  
de cæteris iudicium fiet.] scribenti mihi ultrò se  
ingerentes in præsens referre non absurdum æ-  
stimaverim. Favorem aulicum rarò quidem  
putabat fidum, ubi nimirum foret; esse tamen  
probabat aliquid in nostris consiliis, quo incli-  
natio principum obtineri queat, nec opus de-

formi adulationis obsequio ad pergendum iter  
insidiis inimicantium vacans: Nec enim esse bonis Princi-  
pibus infra ministros ingenium. Inculcabat multoties ni-  
hil ab homine probò unquam dicendum nedum faciendum  
se ipso indignum: studendumque semper salva ut virtutis  
esset fama, quam secundis adversisque rebus juxta valere pu-  
tabat: raroque in honores viam esse per sui despectum, in fa-  
tiabiliterque parandam prosperam sui memoriam. Castimo-  
niam intemeratam & blanditiis impenetrabilem stabilis glo-  
riæ pretio compensari credebat; sed amissà pudicitia fæmi-  
nam nullo non dedecoris nævo infici: animo per volupta-  
tes corrupto aut libidinibus irretito nihil honesti inesse, infa-  
miæque apud prodigas seu dedecoris securas novissimam ef-  
se voluptatem demonstratum ibat eò, quod evulgatus pudor  
non satietatem iis, sed incitamentum afferre soleat. Concor-  
diæ conjugalis necessitatem adstruebat inde, quod nec libe-  
ris mansura concordia, nî parentes exemplum præbuis-  
sent. Beneficio magis quàm injuriæ vicem exsolvendam suadebat,  
ipsa nunquam irritabilis, honestius tamen putans offendere,  
si quà opus, quam odisse: Connivendum enim familiæ non  
censebat, si vitia ab eadem rideantur, nec corrumpere & cor-  
rumpi seculum vocari permittebat, severitatemque usu salu-  
brem & indulgentiâ, quàm soluta domi disciplina sequitur,  
longè meliorem comprobabat. Non superiecerim fidem,  
(nota scribo gnaris genii laudatissimæ fæminæ,) non postre-  
mam illius fuisse laudem, quod velut primum domus suæ mo-  
bile motu secum si non violento certè efficaci traxerit suos  
in pietatem, quorum inanimos non poterat non transire  
inculpatæ vitæ exemplum validius quam metus ex culpa.  
Rari vitam degunt præsentem futuræ solliciti, plerique terre-  
na tantum spectant, cælestia è longinquo adspiciunt, quasi  
ventura ferius, eòque parum curant, vivuntque records, ac  
si animæ finis futurus, cum ipsi finierint; Rectior cum parvo  
piorum grege stabat mens Generosæ ROTSCHUTZIÆ, ut  
quæ animæ suæ remediis salubri effectū duraturis tam in præ-  
sens quàm infuturum cavebat. Meruerant illius virtutes  
diu-

diuturnioris vitæ usum, sed quos omnium diutissimè vivere optes, excedere è vitâ omnium primos experiâre. Commune est hoc mori æquè ac illud nasci, & utrumque certè suo die & horâ à Deo constitutum. Nos interim quotquot Ejus vitâ confirmabamur, animum demisimus, neq; dum, ut firmiùs erigamus, tantum virium resumpsimus. Ad lethalis morbi memoriam ingemiscimus, qui tantam nobis extinxit FÆMINAM. Summo æstatis fervore 3. Calend. Julii Anno 1669. sensit aliquot dolorificos per artûs punctus crebriori lipopsychiâ & scotomate aggravatos, inq; spem recuperandæ medicaminibus sanitatis decubuit aliquot dies, variante subinde & abscedente ægrotationis violentiâ. Unde citra mortis suspicionem tunc quidem degebat piâ patiendi constantiâ, nec triste aliquid, quod animum fodicaret, in verbis ejus aut vultu deprehensum, adeò hilaritati quàm dolori propior cernebatur. Languidiores hinc paulatim fieri vires, & naturam deficere ex supervenienti fervoris intemperie & arteriæ formicante percussu animadversum. Tum mira videbatur in Generosâ FÆMINA æternorum cura, quam per omne vitæ tempus exercitam caducæ vitæ ex spes sollicitiùs intendebat. Sacerdotem multoties jusfit evocari, quo cum de necessitate moriendi, lætiorisq; in æternum vitæ certitudine fidenter locuta. Erumpebat magnum è vultu gaudium beneficia divina extollentis, quod corporis carcere soluta liberiore Dei adspectu mox tritura esse jactaret, nocturnæ quietis lætiores imaginem ad spem haut dubiam imminentis beatitudinis tra-

iens. Sevocato igitur animo à terrenis & factâ  
levotissimâ peccatorum cõfessione, viaticâ san-  
tæ Eucharistiæ canâ quarto Non. Julij recrea-  
ta ebat, & postquam animæ provisum, Gene-  
rosum Maritum Liberosque cum adstanti fa-  
milia Deo commendabat, quiritantesque & illa  
sarymantes temperarent dolori identidem ro-  
abat, non hoc præcipuum necessitudinis aut a-  
nimitiæ munus, inquiens, prosequi moribun-  
dam irritò questu; Sed quæ per vitam benee-  
gerit, meminisse, quæ monuerit, sequi. Tum  
ad quemque suorum versa singulos optimis fir-  
mabat instruebatque monitionibus, legataque  
à se pias ad causas rata ut essent obsecrabat. De-  
plorati morbi continuatione extrahebatur nox  
cum die sequenti, qui [post exactos vitæ annos  
51, menses 10. septimanam unam & sex ferè dies]  
erat illi emortalis, tertius scilicet Non. Julii,  
quo vesperascente defixis in cœlum oculis, o-  
ranti submissim ore [vocem enim ejus consum-  
pserat instans mors] ductisque inò ex corde su-  
spiriis à vehementis morbi fervore eneçta ani-  
mam cœlitus acceptam Deo reddidit reposcen-  
ti. Beatus decessus ipsi cesit in terrestri-  
um ærumnarum requiem, afflixit autem tam  
multos ut tantum non omnes, ad quos vel fan-  
do virtutum ejus fama pertigerit. Tibi Vir  
Magne LUDOVICE de ASSEBURG, Genero-  
se Domine in Vualhausen &c. tam bonæ Con-  
jugis jacturâ maximum inflictum est vulnus /  
VOBIS ò tam bona matre digna SOBOLES ex  
ejus desiderio luctuosissimum est hoc funus.  
Ad cujus memoriam commoveri, ingemiscere,  
lachry-

lachrymari humanitati & pietati est conveniens, & ipsa generosa vestra constantia permittit aliquem in tanto luctu dolorem; Sed aliquem: frænabit eum mox & ad rationem reducet affectuum moderatricem. Quid enim diu aut immodicè lugeatis, quam scitis non amissam, sed præmissam? Mors inhibuit ejus vitam non eripuit, veniet iterum qui EAM in lucem reponet dies expectatus & gloriosus piis, melioris vitæ cui uni hæc vita vivit, complementum. Anhelabat ad cœlestia mens Ejus speratissimâ votoque, istius voti stabilem fiduciam quod jam nacta sit, cur gravius doleatis? Imò ex porrectâ fronte (det mihi veniam affectus vester!) felicitati ejus gratemini, ipso affectu eò ducente: Nempe amatis illam & amatis, quidni optimè igitur illi esse velitis inter beatas æternasque mentes? Nec tamen tota hinc abiit, quicquid ex illa dilexistis, quicquid mirati estis, manet mansurumque est in animis hominum HONESTI amantium & famâ rerum. Id VOBIS suaferim sic conjugis optimæ sic Matris desideratissimæ memoriam venerari, ut omnem vitam sermonemque ejus vobiscum revolvatis, figuramque animi magis quam corporis completamini.

EPI-

lady... & pietati est conveni-  
ent... & ipsa generosa...  
tit... in tanto... dolorum...  
puc... & ad rationem...  
cert... & tumore...  
aut... lugens...  
tam... & moribus...  
non... & veniet...  
re... & gloriosus...  
h... & vixit...  
tam... & ecclesiam...



EP-



## EPITAFFIO.

**D**onna Gentile! ch' il vostro core invitto  
Dal vano haveste, così saggia e giusta  
E d' opre chiara, e di fede robusta,  
Feste à Dio già il bramato traggitto!  
Erga pur marmo ò bronzo il mondo afflitto,  
Che vinca di valor l' età vetusta,  
Che sarebbe auco à lode vostra angusta  
La più grande piramide d' Egitto.  
L' urna di vostre virtudi è in queste carte,  
Non dove estinto il vostro nome si ferra  
Ma d' onde s' apre à la vostra fama il volo.  
Ben degna d' empir del mondo ogni parte  
Viveste, ne basta à voi un honor solo,  
Sia l' ALMA in cielo è duri la GLORIA in terra!  
Per testimonianza di honor verso quell' anima benedetta e  
verso tutta la gentilissima casa ASSEBURGH esse  
soggiunse

*BRODERO Boisen.*

---

*In laudatissimam vitam beatissimamque mortem  
Generosæ ROTSCHVTZIÆ.*

**C**uli sat honoris erat, sat honestæ prolis & ævi,  
Transiit ad superas morte soluta domos.  
Corporis ut speciosa in Eâ florebat Imago,  
Laudis & ut specimen non leve lingua dabat:  
Sic & mentis erat perquam concinna venustas,  
Inque domo pulchrâ pulchrior hospes erat.  
Has animi dotes & corporis adspice, qui vis  
Cernere fæmineæ nobilitatis opes.  
Nobilis in terris adeò quæ claret, & inter  
Cælicolas poterit Nobilis esse animas.

*Levinus Boisen.*









La. 864. 4

ULB Halle 3  
004 840 771



Sb1

VD 77

m. c.





V I T A

GENEROSÆ & NOB  
FÆMINÆ

ANNÆ CAT

de ASSEBURG natæ

Lectissimæ dilectissimæq

GENEROSI, STRENU

DN. LUD

de ASSEB

Hufanæ Diœcesios in Holfatiâ Satrapæ

Nobilissimæ SENIORIS & Feudorum ej

stabilis, Hæreditarii Toparchæ in V  
Schenckenhorft, Ber

*in debitum*


VIRTUTIBUS D

Honore

*scripta*  
à

Brodero Boisen, F

M DC LX



Æ

I

suæ

5

